45

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
TEMPERAMENTIS,

Quam

FAVENTE SUMMO NUMINE,
RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO, S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIque & STATUS ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE, &c. &c.
DOMINO NOSTRO GRATIOSISSIMO &c.

CONSENSU & AUTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS,
IN PERANTIQVA ET ILLUSTRI ELECTORALI ACADEMIA ERFFORDIENSI,

SUB PRÆSIDIO
Nobiliſſimi, Ampliſſimi atque Experientiſſimi

DN. JUSTI VESTI, MED. D.

Patholog. Profeſſ. Publici, Facult. Med. Aſſeſſ. Graviſſ. & p. t. DECANI maximè ſpectabilis,
DN. PATRONI & PROMOTORIS omni Veneratione colendi,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC INSIGNIA DOCTORALIA rite impetrandi,
Publicæ & placidæ Cenſuræ Eruditorum exponit

AUTOR
CHRISTOPHORUS GOTTLIEB ALBERTI,
Sckeudiz-Miſnicus,

Loco Horisq; conſuetis, d. 28. Febr. 1708.

ERFFORDIÆ, Typis Groſchianis, Acad. Typogr.

DEO OPTIMO MAXI-MO, PATRIÆ ET AMICIS.

PROLEGOMENA.

§. I.

QVanta in creandis & conſervandis tam cœleſtibus, quam ſubcœleſtibus creaturis, DEI Optimi Maximi ſit ſapientia ac providentia, nemo mortalium ſufficienter perſcrutari debitisque venerationibus deprædicare poteſt. Nam, quamvis, uti jam Cicero cognovit, homo ſit ortus ad mundum contemplandum, & licet, cum cætera animalia abjeciſſet Natura ad paſtum, ſolum hominem erexerit & ad cœli quaſi cognationis domiciliique priſtini conſpectum excitaverit; maximam tamen hujus facultatis partem proh dolor! amiſerunt Protoplaſti, ita ut jam de perfectisſima operum DEI cognitione intimiorumque myſteriorum Naturæ ſcientia, nil niſi admiratio, & ex ea infiniti labores, ſudores & conatus amiſſum recuperandi ſuperſint; & ad ultimum usque vitæ halitum maneant. Quo etiam fit, ut cum ad intima Naturæ ſecreta penetrâſſe videamur, ingenti ſtupore affecti & jucundisſimo ſpectaculo inducti, non absque delectatione cum Davi-

de Rege *exclamare cogamur:* *Pſ. CXI. verſ. 2.* Groß ſind die Wercke des Herren / wer ihr achtet / der hat eitel Luſt daran.

§. II. *Ex tot innumerabilibus autem per ſummam Altisſimi Sapientiam creatis corporibus elucet maxime & magnam conciliat admirationem mirabilis & artificioſisſima humani corporis ſtatua, elegantisſimis membris ac partibus exſtructa, & ad functiones comparata. Sive enim conſideremus partes ejus ſolidas, ex multis & meris fibris varie inter ſe contextis formatas, quales ſunt:* Membranæ, Muſculi, Glandulæ, Cartilagines & Oſſa: *Sive accurata judicii lance perpendamus partes fluidas, quæ ſunt:* Sangvis, Lympha, Bilis, &c. *tum humidas, tum ſpirituoſas earundemque temperiem ac mixturam: Omnes ſecundum proportionem & diſpoſitionem mechanicam Avtomati inſtar eſſe exſtructas atque compoſitas videmus. Ubi principium illud movens humoribus incluſum, quod alias Archæus dicitur, elateris vicem ſupplere in hoc avtomato ejusque partes pro ratione diverſæ conformationis movere, extendere, aut conſtringere manifeſtum eſt, & ratione atque experientia probatum.* Vid. Phyſ. experimental. Celeberrimi *Vateri*, Profesſoris Wittebergenſ. & *aliorum.*

§. III. *Præter materialem illum archæum, regitur elegans hæc hominis ſtatua (quod maximum eſt) alio adhuc quodam principio immateriali & ſpirituali ſemper cogitante ac intelligente, quo ſolo ab omnibus brutorum ſpeciebus homo diſtingvitur. Bruta enim nihil ſentiunt perfecte, ſed ad motum organorum &*

ad

ad appetendum aut rejiciendum feruntur objecti impetu: Hominis vero mens diſcendo alitur & cogitando ſemper aliquid aut inquirit, aut agit; videndique aut audiendi delectatione ducitur, quod obſervavit quoque Ethnicus ille eruditus Cicero de officiis *dicens*: Semper in promptu habere debemus, quantum natura hominis pecudibus reliquisque beſtiis antecellat.

§. IV. *Operæ igitur pretium erit, de ſubjecto illius elateris egregii, quod nihil aliud eſt, quam maſſa ſangvinea cum reliquis humoribus, accuratam acquirere cognitionem & prolixioribus verbis, ex inſtituto mentionem ejus facere. Eſt autem, quod hac vice conſtitui, certâ ſpe & opinione fretus, fore ut quanquam ingenii mei ac virium tenuitatem, materiæ dignitati ac amplitudini haud reſpondere ultro fateri cogar; minime tamen ubi vires deſunt vituperandam eſſe voluntatem credo. Neque vero de tota hominis machina ulterius diſſerere permittit inſtituti ac Loci ratio, neque etiam animus eſt, ſolidas inquirere in partes corporis humani, adeoque miſſas faciens omnes ambages, propoſitum ſtatim aggredior.*

CAPUT I.

De
Fluidis eorundemque TEMPERAMENTIS in genere.

§. I.

QVemadmodum omnia Corpora naturalia mixta ex elementorum à DEO primum creatorum varia inter ſe tranſpoſitione & mixtione oriuntur,

ita & fluidæ hominis partes nil aliud ſunt, quam maſſa ejusmodi heterogenea, varie ex elementis compoſita; ut modo hæ, modo illæ partes elementares reliquas ſuperent in iisque prævaleant. Et ſicuti machina hydraulico-pnevmatica, aut aliud quoddam avtomatum, licet in eo ſit juſtisſima & accuratisſima partium diſpoſitio, absque elatere aut pondere munia ſua obire nequit, ita & artificioſisſime exſtructum corpus humanum nullis, neque *vitalibus*, neque *animalibus*, aut *genitalibus* officiis fungi poteſt, niſi partibus ſolidis incluſi humores contentos ſpiritus ſuppeditent, qui in muſculos illarum influunt fibras afficiendo, modo conſtringunt, modo extendunt, varieque pro diverſo ſenſuum regimine membra movent. *Vid. Joh. Mayow de moto muſculor. & Williſ. de Anima brutor.*

§. II. Quoniam igitur manifeſtum eſt ex Phyſiſica, omnes corporis humani motus & actiones dependere ab iſtis partibus fluidis, quæ à ſubtilitate Spiritus dicuntur, re autem nihil aliud ſunt, quam aura ſubtilisſima in humoribus contenta, ſeu potius effluvia, ex eorum partibus tenuioribus, ſalinis & ſulphureis, per continuum motum ſubtiliſatis compoſita, & partibus æthereis mixta; per ſe quoque clarius patet, conſtitutioni ſeu temperiei humorum maximam motus actionumque & promotionem, & impedimentum ineſſe, ita, ut pro ratione particularum conſtituentium actiones modo citius, modo tardius produci ſoleant, juxta illud proverbium Medicis notisſimum: *Qualis Sangvis, talis Spiritus, qualis Spiritus, talis actio.* Intelligit hoc *Galenus* cum *lib. 8.*

de uſ.

de uſ. part. c. 13. bonitatem ac perfectionem intellectûs, *& ſine dubio aliarum quoque actionum*, non multitudini Spiritus animalis potius attribuendum videri aſſerit, quam qualitati. *Plura de ſpirituum animalium natura vid. ap. Sennert. lib. I. Prax. part. I. Cap. 15. p. 33. & ſeqq. It. Williſ. part. II. Patholog. cerebr. C. II. pag. 186. Joh. Mayow. Tract. de motu muſculor. Cap. IV. ubi ex particulis nitro-aëreis* ♎ *animales conſtare aſſerit.* Rebus itaque ſic ſe habentibus, fieri facile poteſt, quod Spiritus iſti per ſe quidem maxime mobiles, partibus quibusdam craſſioribus implicentur, quæ volatilitatem ligando, motum & influxum eorum coercent atque impediunt, ut vel maximo ſæpe impulſu ad hanc vel illam partem vix ablegari eamque movere queant.

§. III. Et hæc eſt ratio ac fundamentum aſſertionis noſtræ, quâ ſtatuimus & colligimus, talem debere eſſe in ſangvine reliquisque humoribus temperiem atque mixturam, ut nulla qualitas nullæve particulæ, neque aquoſæ neque terreſtres, nec nimium fixæ, nec volatiles aliæque, excedant ac ſuperſint, ſed omnia in ſua ſint juſta temperie & quantitate ad juſtitiam, non ſecus ac ſolidæ partes, certam inter ſe habentes mechanicam proportionem. Etenim ad pondus dictum temperamentum aut tale, quod in qualitatum tam exquiſita συμμετρίᾳ Phyſici ponunt, quamvis rarius reperiatur, interea tamen norma eſt exceſſuum & defectuum, quibus reliqua temperamenta à perfectisſimo illo declinant & deflectunt.

§. IV. Deſcribitur itaque Temperamentum, quod ſit legitima omnium qualitatum in ſangvine ſpiritibus

ritibusque proportio; multiplex vero auditur distinctio: Vel enim *calidum* vel *frigidum*, *humidum* vel *ſiccum*, & pro diverſitate eorum commixtionis compoſitum & gradibus diſtinctum ſtatuunt, ratione qualitatum primarum vulgo dictarum inducti, *ut Joh. Baptiſt. Porta in Phyſ. cœleſt. aliique.* Relicto autem obſcuro vocabulo qualitatis frigidæ aut calidæ, quod naturam ſubjecti, quomodo & cur dicatur quale non explicat, eà diſtinctione haud contenti, cauſas caloris, frigiditatis & ſiccitatis intimius inſpicere conamur, quando per vocabulum *Qualitatis* nihil aliud intelligimus, quam certas diſpoſitiones corporum, eorundemque partium, quoad magnitudinem, figuram, ſitum, motum & quietem, utpote à quibus omnes actiones & paſsiones, ſimulque caliditas & frigiditas, *hæc à nimia craſſitie & viſcoſitate, illa vero à tenuitate & mobilitate partium* dependent atque fluunt, uti *Magnif. Dom. Chriſt. Vater, Præceptor meus ſummè colendus, Prof. Wittenbergenſ. in Phyſica experimentali doctiſsime & evidentiſsime demonſtravit.* Reſpectu Chymicarum qualitatum, Temperamentum eſſe vel acidum vel alicalicum vel ſulphureum &c. docetur; Sed cum hæc diſtinctio vix punctum abſolvere videatur, quin potius à cacochymia ſangvinis præternaturali haud longè abſint hæ qualitates, per ſe & ſaporetenus tales; majoris diſcriminis gratiâ eam mittentes, in varia principiorum chymicorum ſeu elementorum ſecundariorum cum aliis partibus mixtione & in eorum volatilitate & fixitate rem collocamus: Quamvis multorum eruditorum tam ex veteribus, quam neotericis, doctrinâ nitatur illa

deno-

denominatio, ſic enim Hippocrates alicubi: *Ineſt in homine & amarum & ſalſum & acidum &c.*

§. V. Notandum itidem, quod ſint Aſtrologi, qui actionum hominis varietatem & temperamentorum diverſitatem, *quæ ad actiones maximum facit*, cœlo alligant, & è vario ſiderum poſitu, aſpectibus & irradiationibus deducunt, hominemq; ex indole ſigni aſcendentis, ex erronibus Horoſcopi adſpectibusque eorum incidentibus metiuntur; *verbis loquor viri cujusdam Clariſſimi*, ita ut talis homo, qui citato *J. B. Portæ* videtur eſſe homo intensè frigidus & ſiccus, Aſtrologis ſit Saturninus, *Portæ* calidus & ſiccus, iisdem ſit Martialis, & quem *Porta* vocat frigidum & ſiccum, hunc Aſtrologi hominem Merculialem eſſe aſſerant. Relictâ interim & cuivis datâ ſuâ philoſophandi libertate, in illorum abeo ſententiam, inter quos eſt *Joh. Picus Mirandolanus*, qui abſurdum eſſe arbitratur, earum rerum cauſas & originem in ſideribus quærere velle, quas & manifeſtas & ſufficientes viribus corporum inferiorum ineſſe certum ſit & evidens. Quamvis non inficias ire queam cum clariſſimo *Waldſchmidio*: Sidera diverſis ſuis aſpectibus, conjunctionibus, oppoſitionibus aliquid ad temperamenti mutationem conferre poſſe, cum quotidie videamus, quod aër & illa ipſa fluida pro diverſitate phaſium vagabundorum luminum, noves ſuſcipiant alterationes.

§. VI. De fluidorum interim temperie ac mixtura mihi dicenti, non eſt animus omnes humorum qualitates præternaturales & cacochymias ſub

 examen

examen vocare, quum hoc neque cum propoſito neque diſſertationis titulo & loco eſſet conſentaneum. Per Temperamentum enim non intelligitur omnis particularum, quæ humores conſtituunt ac conſtituere poſſunt, mixtio late ſic dicta; ſic enim omnes ſangvinis cacochymiæ & intemperies, *fœcundæ morborum matres*, eſſent hic explicandæ. Sed vox temperamenti accipitur pro ea humorum proportione, quæ eſt in ſtatu naturali extra omnem cacochymiam, quæ conſtitutio ac proportio humorum à quibusdam ſimul cum conſuetudine dicitur Natura, quô etiam ni fallor Hippocrates reſpexiſſe videtur; cum Lib. II. aphoriſm. IV. ſcripſit: Οὐ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδ᾽ ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, ὅ, τι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ἦ. hoc latine redditur: *Neque ſatietas neque nimia cibi abſtinentia, neque aliud quippiam ſalutare, quod ſupra NATURAM fuerit*; quod etiam *Heurnius in ſuis notis confirmat*.

CAPUT II.

DE CAUSIS TEMPERAMENTORUM.

§. I.

QVod alicubi ait *Cicero*: Innumerabilia parentibus, Omnia Diis immortalibus debemus; hoc maxime evidens eſſe ac perſpicuum videmus, cum ad cauſas efficientes Temperaturæ ſangvinis hoc applicamus, Et quis negaret hanc ſolum eth-

nicis,

nicis, ſed & nobis ſatis ſuperque explicitam & probatam veritatem? Etenim præter tot innumerabilia illa Altiſſimi Creatoris & Conſervatoris beneficia, *quorum debitam mentionem jam facere haud valeo,* à parentibus ſimul cum vita totam noſtri corporis conſtitutionem habemus; dependent ab illis cooperante Deo O. M. totius noſtri corporis conditionis cauſæ efficientes duæ præcipuæ, quorum prior eſt

§. II. GENERATIO. Quandoquidem factâ ſeminis maſculini cum fœminino per congreſſum intimâ unione, aura ſeminalis novum conſtituit in ovulo fæminino principium movens & archæum, quo ſtamina ejus ſolvuntur, moventur & impræ-gnantur atque ita ex his duobus ſeminibus eorumque mixtione novus producitur & oritur homo. *Vid. Fabric. ab Aquapend. de format. fœtus, Harvejus de generat. Animal. Fr. Ruſchius de Ovo in Utero Humano, Carol. Delincurt. de Conceptu conceptus & alii.* Pro diverſitate autem particularum illarum ſeminalium diverſa quoque eſt fœtus hujus conſtitutio; non enim poteſt negari, tale eſſe neceſſario debere productum, qualis eſt materia permanens & partes ejus conſtituens. Ita, ſi contingat, ut utriusque ſexus ſemina vel unum tantum multis abundaret particulis aut volatilibus aut aquoſis &c. quis negaret fœtum facile poſſe acquirere talem partium ſuarum diſpoſitionem & temperiem. Et ſi eſſent in ſeminibus particulæ conſtituentes ita temperatæ ac mixtæ, ut neque ſint nimium fixæ nec nimium volatiles; cur non poſſet quoque ex iis generari fœtus cujus humores eſſent mirâ quâdam compoſitione &

mixtione temperati? ut evadat cæteris paribus ejusmodi homo, quem vocamus κατ' ἐξοχὴν ſangvineum.

§. III. Confirmat quoque hoc experientia, ſiquidem quotidie videmus, infantes multum de Patris matrisve Temperamento & ſimul cum illo de vita ac moribus eorum participâſſe, quamvis nec Parentum educatione, nec iisdem cum illis alimentis ſint uſi. Videmus itidem, multos morbos hæreditarios transplantari à parentibus & propagari ad poſteros, ex ſemine eorum generatos. Notum etiam eſt, quod ſenes illi, qui inclinatâ ætate matrimonio ſe addicunt, in quibus juvenilis ardor deferbuit, quibus flaccidæ ſunt vires, Spiritus exiles, corpus ſangvineis humoribus exhauſtum, magnâ ex parte procreent liberos mœſtos, moroſos, inamabiles vultuque torvo ac facie minus blanda præditos, & ut uno verbo dicam, Melancholicos, *legatur de his Levinius Lemnius de occult. Nat. Mirac. Lib. IV. c. 3.* Pro conſectario itaque certo habetur, Parentes, *quantum in illis eſt*, Generatione liberos ſuos non raro felices, & infelices ſanos aut inſanos reddere poſſe, pro diverſa adminiſtratione rerum nonnaturalium, & ex ea orta varia conſtitutione liquoris genitalis. Sic v. g. illi, qui ebrietati nimium indulgent, in ea congrediuntur, & ejusmodi ſemina, quæ quidem aliàs eſſent rite comparata & aliquantiſper ſpirituoſa, multis tamen pituitoſis & aquoſis partibus à potando prædita, fundunt ac commiſcent, fœtum ſæpius producunt phlegmaticum, multâ pituitâ turgidum, torvum & ſtupidum. Quæ omnia certisſima ſunt indicia, fœtum à ſemine *ſuum*

habere

habere *Eſſe, ſuam Diſtingvi* & *ſuum Operari*. Altera, quam magna ex parte parentibus quoque debemus, cauſa eſt

§. IV. NUTRITIO, & hæc ſe ipſam in tres partes diſtinguit, I. in Nutritionem ſpecialiter ſic dictam illam, in utero jam à matre ſuppeditatam, quando fœtus ex partibus chyloſis materni ſangvinis, per Circulationem eo derivati, nutrimentum ſuum capit, atque quod negari non poteſt, talem acquirit conſtitutionem, qualis eſt ſangvinis materni, & alimentorum, quibus nutritur & augetur. II. Diſtingvitur Nutritio in Lactationem, ſi infans in Lucem editus nutritur lacte materno, hoc eſt, liquore & humore oleoſo, gelatinoſo, & dulci, è ſangvine in mammis fæminarum ſecreto. Pro diverſitate autem lactis hujus, diverſam quoque infanti comparari poſſe ἑνεξίαν & temperamentum, tam clarum eſt, quam quod clarisſimum, uti perſpicue videmus, infantem ſimul cum lactis partibus oleoſis, particulas quoque purgantes aut alios matri datas, omninò exſugere & pro diverſitate earum magnam alterationem ſui ſangvinis ſuſcipere. Et hoc procedit quoque in brutis: Hædi enim ovium & agni caprarum lacte nutriti, mire immutantur; hi lanam duriorem, illi capillum tenuiorum acquirendo, *uti demonſtravit Celeberrimus Wedelius in Diſputat. de Diæta literatorum doctisſima*. Quemadmodum igitur Scipionem Africanum dixiſſe, fertur: Se magis ſibi judicare matrem, quæ etſi eum non peperiſſet, per biennium tamen lactâſſet; Ita quoque eorum liberi non tam parentum, licet eos generaverint,

raverint, quam nutricis videntur, cum plus ſæpe de vita ac moribus nutricis participârunt, quam parentum. Mirantur etiam multi, quod aliqui & præſertim ditiores liberos ſuos ſæpe meretricibus aliisque peſſimæ interdum farinæ mulierculis ad lactandum tradant, atque ita illi ipſi in cauſa ſint, ſi non raro, *ut quidam ex Philoſophis loquitur*, pudicarum mulierum liberi parentum ſuorum neque corporibus neque animis ſimiles evadunt, cum alimentum conſtitutioni cuilibet amicum cæteris ſit præferendum, & nullius nutricis lac infantis temperamento propius accedat, quam maternum, quippe cui in utero jam tum aſveverit. Præterea quoniam lac, quamvis facultates & actiones rationales immediate non afficiat, ad ingenium tamen & mores ſucceſſu temporis multum confert, & *uti ſcripſit quidam eruditus*, gradatio illa phyſica: *Qualis ſangvis, talis ſpiritus, qualis ſpiritus, talis actio*, magni eſt momenti. Infans cum prodit in hanc lucem, ſi unqvam fieri poterit, non nutricis alienæ, ſed matris mammas ſugat.

§. V. Alia adhuc nutritionis ſpecies eſt Alimentatio, ſeu alimentorum captatio, & eſt nutritio per alimenta in provectiore ætate convenientia, quæ plurimum fere facit ad Temperamentum & conſervandum & mutandum. Teſtatur enim experientia, quod homines qui alimenta amant phlegmatica& Bacho nimium indulgent, facile ſibi ejusmodi conſtitutionem & temperiem phlegmaticam conciliare poſſint, quæ ſæpe non niſi graduali differentiâ ſeparata eſt à ſtatu morboſo hydropicorum. E contrario

trario illi, qui alimentis nutriuntur & delectantur ſiccioribus & volatilioribus, non facile conqueruntur de nimia pituita ejusque effectibus, ut lentore, pallore &c. Sed facile mobiles, agiles & ad omnes actiones celeriores deprehenduntur. Nititur quoque hoc experientiæ teſtimonium ratione, quæ talem eſſe effectum, qualis fuerit cauſa & talem eſſe ſangvinem debere, qualis fuerit chylus, *in quantum prius dependet, â poſteriori* docet & confirmat.

§. VI. Præter has duas prolatas Temperamentorum cauſas GENERATIONEM ſcilicet & NUTRITIONEM ad huc ſunt aliæ quædam adjuvantes, quæ, etſi non tam manifeſte in ſangvine deprehendantur, valde tamen eum reliquosque humores afficere eosque quantitate & qualitate augere & mutare poſſunt; *Clima* ſcilicet, ſub quo vivimus, *Regio*, in qua degimus & *Aër* quem inſpiramus. Hæ autem cauſæ pro earum diverſitate diverſis quoq; temperamentis viam ſternere omnino poſſe, luce meridianâ eſt clarius. Nemini enim Geographiam perluſtranti latet, quod illi homines, qui ſub Climate & regionibus ſeptentrionalibus degunt, tantum naturâ, quantum regionibus differant ab illis, qui terras incolunt meridionales, & tanta inter Orientales & Occidentales incolas & regiones detur] differentia, quanta earum eſt diſtantia: *Videantur de hac re Geographi.* Oritur proinde iſta incolarum differentia partim ab alimentis, quæ in hac vel illa regione pro diverſitate caloris aliarumque cauſarum varia ſunt, naſcuntur & homines nutriunt; partim etiam ab Aëre, qui

ſemper

ſemper quasdam particulas aut aquoſas aut ſulphureas, volatiles aut alias pro vario cujuscunque regionis ſitu ſecum ducit, quibus inſpiratis varie afficitur maſſa ſangvinea cum reliquis humorihus. Et inde eſt quod dixit *Hippocrates Lib. I. Aporiſm. II.* Ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην καὶ ὥρην; *Reſpicere debemus & regionem & tempus &c.* & iterum Aphor. XVII. *Concedendum eſſe aliquid & tempori & regioni.* Probant etiam omne illud, quod de Climatis, regionumque effectu in temperamenta, eorumque differentia dixi, mores & actiones, huic vel illo populo familiares & propriæ. Nemo enim negabit Italos, Siculos, Turcas, Hiſpanos & omnes illos, qui in calidioribus regionibus vivunt, alimentisque lautioribus, ſpirituoſis & volatilioribus nutriuntur, ad iram, libidinem, vindictam, aliaque animi pathemata eſſe procliviores illis, qui ad zonam temperatam aut frigidam propius accedunt, uti colligere licet ex omnibus peregrinationum libris. Accedit tandem reliquarum ſex rerum, quas vocant non naturales, varia uſurpatio, quæ & quantitate & qualitate totam maſſam ſangvineam ejusque mixtionem variare poteſt.

Caput III.

De TEMPERAMMENTO SANGVINEO.

§. I.

Cognitis cauſis, conſideremus ſinguli temperamenti definitionem & diagnoſin. Ubi nobis

primo.

primo loco obvium SANGVINEUM, tale tempemarentum in quo partes Salinæ & Sulphureæ, nec nimium fixæ nec volatiles, ſed optimè temperatæ in ſangvine reliquisque humoribus prævalent. Sunt enim hæc duo Elementa Chymica & Corpora naturalia mixta, ex primis elementis immediata compoſita, tanti momenti, ut materia ſecunda permanens & principium omnium corporum dici facile poſſint, quia ex illis cum aliis partibus terreis & aqueis varie mixtis generantur & componuntur omnia corpora magis compoſita, in quibus omnibus mixta reperiuntur & per chymiam demonſtrantur. A principio enim Salino, quod partibus gaudet rigidis, acutis & duris plus minus tenuioribus habent corpora ſuam coagulationem, ſolutionem, ſaporem, odorem aliasque pro ejus diverſitate qualitates, adeo ut nullum corpus ſubſiſtere & partibus cohærere poſſit, niſi partes illæ ſalinæ cum aliis terreis coagulatæ ſoliditatem ei adferant, quod & probant multæ aliæ rationes, quæ docent neceſſario tale principium requiri in corporibus, quale hoc eſt quod Phyſici Sal nominare volunt. Pari paſſu ambulat Salino priori amicabili conſortio ubivis conjunctum ſulphur, h. e. tale Corpus naturale mixtum, ſubviſcidum & oleoſum, à quo Corpora reliqua habent quod dici poſſint inflammabilia, oleoſa, reſinoſa &c. & hoc æq; ac ſal non eſt ſulphur commune, ſed ei tantum analogon, quod conſtat particulis terreis tenuiſſimis cum aqueis flexibilibus, plicabilibus & glabris, ita contemperatis, ut corporibus aſperioribus facillime cohæreant & eis glabritiem, mollitiem & pingvedinem concilient. *Vid. de principiis chymicis Sennert. de conſenſ. & diſſenſ. chim. Coring. Medicin. Hermet. Borichius de ortu & progreſſu chim. Rob. Boyle Tentam. phyſ. & alij.*

C §. II.

§. II. Si itaque duo hæc principia, utpote quæ ubique reperiuntur, in alicujus maſſa ſangvinea eam habent temperiem, ut juſte & legitime cum aliis terreis & aqueis mixtæ ſint ac temperatæ, ſimulque nec quantitate, nec qualitate excedant, vocatur Temperamentum ſangvineum, non quod ſemper faciat ſubjectum plethoricum & venas arteriasque amplas, & multo ſangvine turgidas, ſed uti jam dictum eſt, propter laudabilisſimam & optime temperatam omnium humorum cōſtitutionem, quæ conſiſtit in ſolida & genuina naturæ harmonia omniumque particularum legitima proportione & juſta quantitate, à cauſarum antea dictarum qualitatibus chymicis ſub nomine Sulphuris, Spiritus, Aquæ & Terræ comprehenſis dependente, *uti loquitur Williſ. de ferment.* Talis autem tam temperata maſſæ ſangvineæ conſtitutio non poteſt non ſubjectum ſuum reddere κατ' ἐξοχὴν ſanum & incolume, *ad Sententiam Hippocratis,* qui alicubi de particulis ſangvinis dicit: *Hæc quidem mixta & inter ſe temperata, neque conſpicua ſunt, neque hominem lædunt.*

§. III. Actiones in iſto homine omnes imprimis vitales, ut digeſtio, Chylificatio & ſangvificatio inveniuntur integræ & naturales, quod etiam apparet ex florida eorum facie, corpore agili, animo hilari, urina bene colorata, pulſu æquali & forti, ſudore facili aliisq; ſignis ſtatum temperatum indicantibus. Invenitur hæc temperata omnium qualitatum mixtura potiſſimum in illis, qui à parentibus ſangvineis generati, alimentis boni ſucci & bene temperatis veſcuntur; cæterasque res nonnaturales ſimul cum venere moderate uſurpant. Propter actiones igitur tam moderatas & propter ſta-

tum

tum tam ſalubrem hoc temperamentum omnibus cæteris, quæ aut exceſſu aut defectu laborant & magis magisque de ſtatu naturali deflectunt, optimo jure præponitur, ita ut felices nos omnino prædicare, Creatoremque O. M. Laudibus venerari debeamus, ſi talem à parentibus accepimus laudabilem conſtitutionem, quam deinde integram convenientibus alimentis conſervare, labefactatam vero appropriatis medicamentis reſtaurare poſſumus & debemus.

CAP. IV.

De TEMPERAM. CHOLERICO.

§. I.

A Temperamento ejusmodi maſſæ ſangvineæ ſtatu diſtinctum eſt Temperamentum, quod vocant CHOLERICUM vel Bilioſum, h. e. ea ſangvinis conſtitutio, ubi partes elementares Salinæ & ſulphureæ tenues & volatiles parum excedunt & hominem ad quarundam actionum læſionem reddunt proclivem. Quoniam mobilitatem ſpirituum à diverſa ſangvinis reliquorumque humorum conditione & qualitate, diverſis alimentis, quibus nutrimur aliisque cauſis inductâ, omni modo dependere, *uti ſupra dixi*, manifeſtum eſt; neceſſario ſequitur, temperamentum hoc fieri ex nimia tenuitate & volatilitate particularum elementarium à parentibus accepta & per nutritionem aucta, quâ deinde tales in Cholericis generantur ſpiritus, qui licet ſint valde agiles & copioſi in actionibus perficiendis, propter nimiam tamen volatilitatem diu durare, & o-

pus inceptum ad finem perducere nequeunt. Videmus hoc Sicco temperamento præditos homines ut plurimum gaudere magnâ quâdam partium ad actiones aptisſimarum agilitate & facilitate multa obeundi; ſunt enim propter abundantiam Spirituum ingenioſi & perſpicaces, *unde Heracliteum iſtud: In ſicco ſapientia.* Præterea non negandum eſſe cenſeo, effatum illud viri ejusdam Clariſſimi qui haud absque ratione ſcripſit, eos qui cerebro eſſent calidiori, *quod propter mobilitatem fit in cholericis*, ut plurimum deprehendi variabiles & vagos, (qui uni rei raro immorantur, ſed deſultoriâ levitate ab uno ad aliud transvolitant) magno eos ſtimulari pruritu & appetitu, dum res nova eſt, ſed prius quam ad medullam deſcendunt, quod novum erat, cito veteraſcere & vileſcere; ita ut licet de eis dicere cum Poëta Venuſino:

Quod petit ſpernit, repetit, quod nuper omiſit,
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

§. II. Volatilitatem autem humorum multum de integritate & continuatione actionum detrahere omnino poſſe, docent variæ rationes, quarum duas tantum addam. 1. Cum juxta *Hippocratem* omnia ſint *perſpirabilia*, particulæ ſubtiliores & nimium volatiles facile absque muneris ſui functione in auras abire poſſunt, e. g. ſi menſtruum ventriculi nimium eſt volatile, per poros ejus exire & ventriculum omni ſtimulo deſtitutum relinquere poteſt; *uti à ſpiritus vini potatoribus obſervat, Cranen Oeconom. animal. p. 22.* 2. Quoniam tot generatis ſpiritibus regnandis & gubernandis impar eſt anima; fit exinde multiplex eorum & vagabundus motus

varias

varias in res, novarumque rerum appetitus, quo ſit, ut variæ libidines & animi affectus immoderati oriantur.

§. III. Probant omne id, quod poſui, ſigna hujus temperamenti diagnoſtici, quæ ſumuntur æque ut apud Sangvineos 1. ab externa corporis facie, in qua apparet excedens ſiccitas; quæ teſtatur de abſentia phlegmatis, calitidas nimia à mobilitate partium deſcendens, totius corporis & cutis ſiccitas, aſperitas & color fuſcus propter abundantiam particularum Salino Sulphurearum pauco phlegmate diluturum, inde etiam dicuntur Bilioſi. 2. Ab Actionibus, quæ à naturalibus parum recedere videntur, e. g. Pulſus celerior & vehementior, Somnus brevior, nutritio parcior & prava, ſitis, interdum obſtructio alvi &c. 3. Ab Excretis & retentis, inter quæ eſt urina parcior, flavedine tincta & acris.

CAPUT V.

DE TEMPERAMENTO PHLEGMATICO.

§. I.

ALia adhuc eſt hominum ſpecies, præcedente temperie præditis è diametro contraria, quæ quidem non plane à naturali ſtatu eſt devia, ſed tantum aliquantisper de ordine naturæ deflectens; cum enim illi in præcedente capite deſcripti magnâ gaudent ſiccitate, hi præter dictas elementares, in ſuo ſangvine habent partes multas aquoſas vel pituitoſas, motum particularum Salino Sulphurearum aliquo modo inhibentes & ligantes, inde conſtitutio hæc maſſæ Sangvineæ à potiori denominatur

Temperamentum Phlegmaticum, ſeu *Pituitoſum*, ubi Sangvinis partes Salino ſulphureæ volatiles & balſamicæ ab excedentibus ſeroſis, viſcoſis & crudis ſupprimuntur & nimium diluuntur.

§. II. Cauſa hujus Pituitoſæ temperiei, æque ac aliarum conſiſtit in Generatione & Nutritione, *Capite ſpecicali de cauſis ſatis explicatâ*, quibus pituitoſa materia jam tum cum ſemine parentum communicata, per alimenta augetur & continuatur. Hæc autem pituitoſa & cruda materia viſciditate & aquoſitate ſua, ſubtiliores partes æthereas cum ſalinis & ſulphureis permiſtas, *h. e. ſpiritus*, in motu ſuo & actionibus nimium refrigerat & impedit, inde fit, ut ubi adſunt ſigna corporis phlegmatici, q. ſ. Excedens ſuccolentia & frigiditas, viſcoſitas humorum, facies pallida & habitus totius Corporis humidus, mollis, turgidus ac apparenter pingvis & venæ deliteſcentes, ibi quoque maxime adſint Actiones debiliores & laſſitudo. Adeſt totius corporis propenſio in ſomnum, propter lentorem & motum impetum ſpirituum, adeſt tarditas judicii & memoriæ, pulſusque langvidus & tardus. Inter excreta urina eſt pallida, viſcida, cruda; ex retentis ſangvis multo ſero, eoque utplurimum viſcido mixtus & refertus.

§. III. Non autem ſermo hic eſt de fluido illo humore, qui neceſſario requiritur in ſangvine & quem Hippocrates vocat ὄχημα τροφῆς, vehiculum nutrimenti, quoniam neque ex inteſtinis in venas lacteas transſumi poſſet chylus, jam ex cibis factus, neque ſangvis facile pertranſire ex arteriis venarum vaſa capillaria anguſta, niſi tenuis quædam & aquoſa humiditas eſſet ei admiſta. Sed loquimur hic de excedente quadam humiditate,

ditate, quæ ultra ſufficientem quantitatem alias partes elementares ſangvinis nimium diluit, ita ut in iis generentur ſpiritus pauciores, iſtis partibus aquoſis multum ligati & fixati, quo fit, ut cum fibris muſculorum gravi quoque materiâ aquoſâ turgidorum movendis, ſint impares, motus & actiones tam lento gradu procedant.

CAP. VI.

DE TEMP. MELANCHOLICO.

§. I.

QVanquam delirium illud cum metu, triſtitia &c. conjunctum, à tremore conſtanti & irregulari nervorum in cerebro & depravato perverſoq; ſpirituum motu à Græcis minus congruè denominetur per Vocem Melancholiam ἀπὸ τῆς μελαίνης χολῆς, quoniam non niſi forte per accidens è ſucco atrabiliario, oritur, *uti Celeberrimus Vaterus antea citatus in Diſputatione erudita evidentisſime probavit*: Hæc tamen omnia quæ de Melancholia & atra bile aſſeruerunt veteres, mutatis mutandis optime applicari poſſe ad quartum hoc temperamentum, non ſine ratione ſtatuimus, cum ipſa Melancholia à veteribus, ſpeciatim ab *Hippocrate acidus ſuccus* appellari ſolet. Non enim hic per vocem Melancholiæ affectum illum morboſum, ex veterum opinione Melancholiam dictum, aut quandã atrambiliariã cacochymiam intelligimus, ſed vocabulo hoc denotamus particulas crasſiores & terreſtres, quas *Galenus* comparat cum altera ſubſtantia lactis, quæ craſſa, & vini fece, quæ terreſtris dicitur, *lib. 4. de ſimpl. Med. Fac. cap. 3.* Temperamentum igitur Melan-

lancholicum eſt ea ſangvinis conditio, ubi in eo partes viſcoſæ, fixæ, acidæ & terreſtres reliquas elementares ſuperant atque talem mixturam conſtituunt, quæ, quò longius abit â temperata illa humorum proportione, quam ſangvineam vocamus; eò melius hoc reſpectu cacochymiæ nomen meretur.

§. II. Hæc autem temperies præter generalem cauſam, (quà conſtitutio partium tam craſſa, ſimul cum ſemine parentũ accepta, per alimenta, quæ craſſum ſuppeditant chylum augetur,) originẽ trahit quoq; â prava rerum non naturalium adminiſtratione, quando ſcilicet partes tenuiores in aures avolant, humiditas abſumitur, ut nil niſi terreſtres & fixæ particulæ remaneant. Ex quo deinde fit, ut ſubjectum evadat omnibus ſignis Melancholicis prædictum, q. ſ. excedens viſciditas & crasſities, terreſtreitas, ſalium fixitas & aciditas in ſangvine indeq; habitus totius corporis ſiccus, rigidus & frigidus. Actiones minus promptæ, corporis propenſio in triſtitiam, defectus Nutritionis, inclinatio ad obſtructiones Alvi, urinæ &c. Excreta craſſa, Sangvis fæculentus, pauco ſero eoque viſcido, acido-ſalſo præditus, urina denſa atque craſſa.

§. III. Notabile tandem eſt, quod homines, qui hoc gaudent temperamento, quò difficilius ab objectis in affectus rapiuntur, eò diutius èis indulgent, ſi ſemel moti, frenum laxare incipiunt; inde etiam Melancholici tardius irritati, plumbeas iras gerunt, ut Comicus loquitur.

CAP. VII.

DE TEMPERAMENTORUM EFFECTU & DECLINATIONE.

§. I. VErum eſſe, quod in trito dicitur proverbio: *Mores ſequun-*

quuntur humores, ex his præmiſſis temperamentorum cauſis & diagnoſi facile evidens erit atque perſpicuum. Neque certe quisquam negabit, quod per gradationem phyſicam, quam antea poſui, â ſangvinis reliquorumque humorum diverſa complexione, diversè quoque afficiatur animus, ita ut præter actiones vitales & animales, qui omnino ſequuntur humorum conſtitutionem rationales quoque varient & modo imminuantur, modo depraventur, pro varia corporis, quocum fœdus & conjunctionum anima iniit, conditione. Quanquam enim actiones rationales ſoli mentis regimini ſubjaceant, & licet illa *Intellectu* cognitum bonum vel malum *Voluntate* aut appetat, aut rejiciat; magno tamen diverſæ inclinationis naturalis vinculo tenetur iſta voluntas â corpore, cum quo mens iſta arctisſime eſt conjuncta. Quo fit, ut nos miſeri, propter corruptam noſtram naturam, non facile ſequamur mentis noſtræ admonitionem, ſed corporis inclinationi, *quæ non ſemper bona eſt*, nimium indulgeamus, & pro diverſo temperamento & exinde orto appetitu, ad hoc vel illud patrandum ſimus proni atque parati, uti ex ipſo fonte veritatis apparet in *Caine, Davide, Apoſtolo Paulo* & aliis, qui ſinguli ſuæ naturæ inſtinctum, ſanæ rationis dominio ſubigere, certo tempore haud valebant.

§. II. Unius cujusque autem temperamenti effectus & actiones facile apparent & judicari poſſunt ex antecedentibus capitibus. Interim tamen non è re erit, ex citato *Lemnico* judicium, de ſingulis cum noſtra ſententia haud incongruum, huc citare: *Sangvinei*, inquit, *calidæ humidæque naturæ, nulla re gravi ac ſeria, nullis curis diſtinentur, ſed toti in jocos*

cantilenas, fabulas, urbanitates ac dicteria effuſi, nihil aliud quam voluptates ac delicias conſectantur. Cholerici ſunt fervidi, animoque concitato atque ut ſtipulæ ac ſtramenta citisſime ingneſcunt, ſic iſti ob calidi humoris tenuitatem ac ſubitam inflammationem, impotentius incandeſcunt, ſed in iis confeſtim deferveſcit ira, atque efficiuntur placabiles. Phlegmatici, utpotè frigidæ humentisque naturæ, nullum propemodum ſentiunt animi motum, nec magnopere ullis rebus promoventur; quo fit ut ignavi exiſtant atque inertes; nec ad ullas res præclaras appoſiti. Melancholici tardius irritantur, verum accenſis, ſerius ſeneſcit ira prorſusq; ſunt implacabiles atque injuriarum tenaces.

§. III. Interim tamen vitam noſtram cum *Socrate* corrigamus, niſi tales eſſe velimus, præſertim cum conſideramus, quod Creator Omnipotens corporibus noſtris facultatem ratiocinandi, & præter motum phyſicum, *quem bruta quoque ſequuntur*, indiderit intellectum & voluntatem, quibus conjunctim ſumptis, vitam noſtram, h. e. naturam corrigere, actionesque noſtras moderare valemus. Sic homo iſte, cujus ſangvis multis partibus oleoſis & ſpirituoſis eſt repletus, & naturali inſtinctu ad exercendas res venereas magno æſtu proclivis, confeſtim adhibitis in conſilium ratione & præcepto divino, ardorem ſuum mediis licitis ſupprimere pravasque concupiſcentias, ſecundum Scripturæ ſuaſum, cruci affigere omnino poteſt. Hoc modo ille etiam, in cujus animo externæ quædam cauſæ motus turbulentos iracundiæ concitârunt, omnino animum ſedandi & iram, ad quam humores, *in quibus præcipua ſæpe cauſa eſt atque Origo*, inclinant, ferveſcenti-

amque

amque vindictæ extingvendi media adhibere poteſt & debet, niſi ſanæ rationis conſilia ſuâ ſponte contemnere ac rejicere velit. Et hæc vitæ correctio & naturalium actionum moderamen, ſimul cum adhibito ſanæ rationis ſuaſu, utplurimum conſiſtit in conſuetudine, per educationem â teneris ungviculis inductâ, & deinde per converſationem aucta & continuata, quâ, tanquam altera natura, prioris naturæ h. e. temperamenti impulſibus modum, in actionibus, certosque fines præſcribere poſſumus ac debemus. Notatu denique dignum eſt, quod in paritate temperamentorum atque ex ea orta morum ſimilitudine, ratio quoque conſiſtat, cur ſimilis tam prompte ſuo gaudeat ſimili, & uti negari non poteſt, cur quidam homines aliis primo aſpectu ſtatim ſint infenſi, absque parva, vel plane ulla eorum cognitione, aut cauſa manifeſta, & contrà, amare & familiares ſibi reddere ſoleant peregrinos quosdam, cauſam inclinationis ſæpe neſcientes atque ita facilius ſæpe ex ſocio, quam ex ſe, cognoſcantur.

§. IV. Ex varia vero ab hoc vel illo, ex enumeratis temperamentis declinatione naturali, ex magna heterogeneitate alimentorum, ex diverſa denique vivendi ratione, oriuntur quoque tales mixtiones & temperamenta, quæ, cum de duobus ſæpe aliquid participent, neque ad hoc, neque ad illud commode referri poſſunt. Sunt autem ejusmodi Temperamenta mixta, talis in ſangvine conſtitutio, quæ ab hoc vel illo, plus minus abire & ad aliud declinare videtur, præſentibus utriusque ſignis mixtis. Cujus itaque ſigna ſe magis manifeſtant, vulgo dicitur Temperamen-

tum *prædominans*, *quod primo loco ponitur in denominatione*, inde eſt, quod multi, illos homines, quibus eſt talis conſtitutio, vocârunt vel ſangvineo-cholericos, vel cholerico-ſangvineos, &c. Et quia hæc diſtinctio aliqua niti videtur ratione, non tam abſurda eſt ejusmodi denominatio. Verum enim vero, cum neque entia temerè ſint multiplicanda, neque tam accurata uniuscujuslibet haberi poſſit cognitio, neque etiam ſimul in eodem ſubjecto duo eſſe poſſint contraria, *quod eſſet in mixtione temperamenti Cholerici & Melancholici*, hæc chimærica mixtio minime videtur approbanda: Ratio in eo conſiſtit, quod ſangvinis reliquorumque humorum â jam enumeratis quatuor principalibus temperamentis tam varia & multiplex eſt declinatio, ut neque numerari, neque definiri certe unquam poſſit; inde eſt, quod pro varietate ejus tam varias hominum ſpecies, & tot ſenſus quod capita habeamus. Sufficit ſcire, quod â quatuor primis temperamentis, quæ rarisſime inveniuntur pura, diſtinctæ dentur variæ declinationes & degenerationes, â cauſarum ſupra dictarum varia mixtione & compoſitione oriundæ. Et quamvis eas certo nomine indicare vix liceat, ſatis tamen eſt, ſi ex enumeratis ſignis diagnoſin Medicam, atque ex ea, cujuslibet ſubjecti inclinationem, juvantia & nocentia, agnoſcere poſſumus & judicare.

CAP.

CAP. IIX.

DE TEMPERAMENTORUM REGIMINE DIÆTETICO.

§. I.

HAbent quoque propter ſpecialem cujuscunque inclinationem naturalem & variam rerum non naturalium adminiſtrationem, ſingula Temperamenta ſuos & proprios effectus. Ne autem hi plane in ſtatum morboſum abeant, ſpeciali opus eſt præſervandi methodo, quæ ex fonte Diætetico potisſmum ſuppeditatur, conſideremus itaque ſingula ſpeciatim.

I. Sangvineum propter ſalino oleoſas optime temperatas, præ cæteris quidem eſt optimum & maxime ſanum temprramentum, interim tamen proclive eſt ad *libidinem, Pollitiones nocturnas, omnesque æſtus Venereos, febres calidas, inflammationes &c.* Conveniunt igitur illis, qui gaudent hoc temperamento, alimenta temperata & diluentia, potus eorum ſit tenuis, nec nimium ſpirituoſus, ſed aliquo modo refrigerans, magis enim fræno, quam calcaribus indigent in omnibus actionibus. Proſunt valde labores & motus continui, ſed mediocres, adhibeantur utilisſime per vices blanda purgantia, ſi plethora adeſt, quoque V. S. juxta *Aph. Hipp. 3. Sect. 1.* Prodeſt moderatus Veneris uſus. Nocent valde Aromatica, nimis volatilia & acria, Vinum immoderate & ſæpius hauſtum, Venus ante pubertatem aut excedens, Otium & ſomnus largior.

II. Cholericum, ad intemperiem calidam, bilioſam, volatilem & ſiccam facile inclinans & tendens, omnibus

morbis ab ea oriundis, eſt obnoxium, q. ſ. *febres ardentes, Tertianas, Vigiliæ, Icterus, Mania &c.* Conducunt igigitur illis alimenta boni ſucci, ſed humectantia, diluentia, temperantia, ſale nitroſo prædita. Potus ſit largior, ſed adhuc minus ſpirituoſus, Vinum bibatur tenue & aqua dilutum, aut nullum, Veneri & affectibus frænum injiciatur. Præſervatoriè ſæpius ſumatur ⊕ ♁ *iat. arcan. dupl. Antihect. Pot.* ▽ *acetoſ. portulac. Potus Thee &c.* Nocent omnia acria, volatilia, ſicca & aromatica, Vini & Spiritus Vini potus nimius cane pejus & angve vitetur, exulet quoque uſus herbæ nicotianæ, abſint fortiora evacuantia.

III. Phlegmaticum Temperamentum degenerare facile poteſt in intemperiem aquoſam, viſcoſam, frigidam & crudam; morbis igitur omnibus ab ea dependentibus, facile laborat phlegmaticus, e. g. *Hydrope, debilitate ventriculi & aliorum viſcerum, rachitide, catarrhis &c.* Optime igitur illis adhibeantur alimenta bene nutrientia, ſicciora, ſed ſpirituoſa, Potus ſit oleoſus & nutriens, acrimoniâ & quantitate, non excedens. Injungantur ſæpius purgantia phlegmagoga, diuretica & diaphoretica; Motus & labores proſunt quidem, ſed leviores. E medicamentis dentur aromatica, ſudorifera aperientia, & ſtomachum reliquaque viſcera corroborantia, q. ſ. *C. C. uſt. Corall. rubr.* ♁ *diaph. Succin. alb. Eſſ. Lignor. ſuccin. volat. Aromatica* ♌*ci. Eſſ. ſtomach. &c.* Nocent omnia aquoſa, fermentabilia, Aër humidus & frigidus, Veneris largior uſus, otium & Ebrietatas.

IV. Melancholicum propius accedit ad intemperiem acidam, ♀ream, fixam & craſſam, & ad obſtructiones omnis generis, *Lithogeneſin, Malum hypochondriacum, melan-*

melancholiam ſtricte ſic dictam febrem quartanam &c. eſt proclive. Inde proſunt maxime alimenta tenuiora, humida & volatilia ∞oſa, quæ gaudent ſale alcalico reſolvente. Potus ſit tenuis, largior & ſpirituoſus. Vinum prodeſt ad poculum hilaritatis, non vero ebrietatis, ſed ſit purum, tenue, & partibus ♀eis privatum. Venus & Labores moderate uſurpentur. Præſervatorie dentur reſolventia, aperientia, volatilia & alcalia, q. ſ. *Tinct. ♂ ij ♀riſat. Ω★ci, liq. C.C. ſuccinat. ⊖ vol. ∞oſ Sylv. &c.* Nocent acida, acria, craſſa & cruda, triſtitia, reliquaque animi pathemata, otium, ſomnus largior venus fumiſugiumq; *nicotianæ*.

§. II. Notandum tamen, quod in omnibus his ad ſvaſum *Hippocratis* concedendum aliquid ſit tempori, ætati, regioni & conſvetudini.

Omnibus denique his pro inſtituti & virium ratione ſufficienter tractatis, nil ſupereſſe videtur, quam ut ſummo Archiatro pro conceſsis viribus, laudes debitas & gratias agamus: Quicquid enim nobis eſt, ab illo accepimus, cui ſit LAUS, HONOR & GLORIA in æternum!